



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 1. Quid est mutuum, seu Mutuatio?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

finxit se habere aliquem conditionem, seu qualitatem, quæ requiritur, ut quis admittatur gratis in aliquod Collegium, vel Hospitale, vel ut accipiat aliquod plium legatum. Item qui finxit se pauperem, ut recipiatur gratis in seminarium fundatum pro pauperibus alienis: nam adest dolus & error circa causam finitatem, & conditionem, qua non posita nulla est intentio donandi, nec ullum jus nascitur.

2. Qui accipit aliquid ob causam fictam. 3. Qui se finxit pauperem, tenetur accepta titulo eleemosynæ restituere, vel donatori, quia adhuc illius sunt, nam non fuit voluntas dandi nisi vero pauperi; vel pauperibus, quia dum non constat donatorem revocasse voluntatem, censetur perseverare in priori voluntate dandi pauperi: unde tunc ejus voluntatem exequitur.

Secus, si error sit solum circa causam impulsivam, quæ nempe tantum movet ad faciendum, vel dandum promptius, facilius, non autem movet ad dandum simpliciter; quia eâ sublatâ adhuc est voluntas dandi: ut si Petro verè pauperi, sed simulanti pietatem des eleemosynam principaliter ob paupertatem.

### CAPUT III.

*De Mutuo, & usurâ.*

Q. i. **Q**uid est Mutuum, seu Mutuatio?  
Resp. Est contractus, quo res numero, pon-

pondere, vel mensura constans traditur eo animo, ut statim fiat accipientis, cum obligatione reddendi similem in specie, & bonitate, post lapsum temporis, ex l. 2. ff. de rebus credit. & instit. lib. 3. tit. 15:

Dicitur 1. Res numero, &c. ut sunt pecunia, frumentum, vinum, oleum: nam materia mutui sunt res, quae in jure dicuntur functionem recipere; hoc est, quarum una potest fungi vice alterius, ut vinum vini, pecunia pecunia, & sic substitui pro alia; ex l. cit. 2. traditur: quia mutuum traditione perficitur. 3. Ut statim fiat, &c. nam per mutuum dominium rei transfertur: unde ex instit. cit. *Mutuum appellatum est, quia ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat.* Quare mutuatarius sub suo periculote net rem mutuatam, sed omnes fructus ex ea percepti ad eum pertinent, nam res perit, & fructificat Domino. Hinc mutuum differt à commodato, locato, &c. 4. Cum obligatione, &c. per hoc differt à donatione. 5. Reddendi similem, &c. per hoc differt à permutatione, in qua res unius speciei datur pro re alterius speciei, v. g. frumentum pro vino. 6. Post lapsum temporis. nam est intrinsecum mutuo, ut non statim reddi debeat, alioqui esset inutile mutuatario, & per hoc differt à cambio, ubi pro monetâ aureâ statim redditur argentea ejusdem valoris.

Q. 2.